

9. Intorno all'udienza presso l'imperatore Kanghi
del 14 gennaio 1721.¹

Adm. Rev. Pater Generalis.

« Tametsi nos duos infrascripti Societatis Iesu sacerdotes ac missiōnarii in curia Pekinensi per testimonium, quod iuxta articulos ab A. R. P. V. praescriptos et commendatos cum aliis Pekini societatis nostrae sacerdotis fecimus atque subscriptissimus, videri possimus satisfecisse obligationi nostrae atque oboedientiae nobis iniunctae in litteris suis 27 Septembris 1723 datis, tamen quia vario rumore comperimus, nos ambos fuisse nominatim atque speciatim in pessimam suspicionem tractos, tamquam si voluntatem Imperatoris Sinensis, quando dimisso alloquio, quod ill^{mo} Patriarchae Alexandrino cum omnibus Europaeis 14 Ianuarii 1721 benigne indulserat, nos duos paululum coram se remanere iussit, pervertissemus, ut denuo mutaret sententiam in his quae circa ritus Sinenses petenti ill^{mo} Patriarchae iam concessisse praeten-debatur; ut pessimam hanc suspicionem, immo temerariam atque falsissimam penitus convellamus atque signate a nobis amoliamus, in verbo sacerdotis iuramus coram Deo, qui nos aequa ac delatores iudicaturus est, nos nihil omnino dixisse vel egisse, per quod praetenderemus aut procuraremus Imperatorem a praetensa illa concessione revocare, aut per quod Imperator incitari potuerit ad mentem suam mutandam, idque tanto minus, quia extra dubium est, Imperatorem in eo alloquio nihil eorum, quae praetendebantur, circa ritus Sinenses concessisse, immo nec velle nec posse concedere, sicuti quam saepissime iteratis asseverationibus a viginti et amplius annis verbo et scripto publice ac constanter conte-status fuit. Pekini 2 Novembris 1724.

Iosephus Suarez S. J. m. pp. — Ioachimus Bouvet S. J. m. pp. ».

Summarium (cfr. sopra p. 560 n. 4 § 6).

10. Dall'« Informazione » di Tamburini del gennaio 1725.²

« Ex litteris P. Francisci Xaverii Dentrecolles datis Pekino 9 Oct. 1723: Hoc anno baptizati, magna ex parte infantes, numerantur dumtaxat 700 circiter, 50 adulti sacramenta rite muniti in hac christianitate obie-runt. — Ex litteris P. Caroli de Resende Viceprovincialis Sinensis datis Pekino 31 Oct. 1723: Hoc anno sensim sine sensu Pekini aperta est ianua administrationi sacramentorum absque discriminē personarum, et quamprimum publice etiam administrabitur eucharistia. Per provincias nihil novi circa administrationem; ubique administratur. — Ex litteris P. Stephani Couteuls datis ex Han Yang 6 Septembris 1723: Praeter ea,

¹ Cfr. sopra p. 363 s.

² Cfr. sopra p. 559, 561.